

*22. Instrumentum venditionis di
Pasquale de Ruta in favore di
Nicola di Gugliemo de Philippa*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*22. Instrumentum venditionis di
Pasquale de Ruta in favore di
Nicola di Gugliemo de Philippa*

1298-05-19

(c. 346v) Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo ottavo, regnante domino nostro Carolo secundo Dei gratia gloriosissimo rege Hierusalem, Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Provincie et Forcalquerii comite, regnorum eius anno quartodecimo feliciter amen, mense madii, nonodecimo eiusdem, undecime inditionis.

In presentia Bernardi de Connestabulo regii iudicis Potentie, Ioannis de Gunnella publici supraditte terre notarii et testium subscriptorum, ego Pascalis de Buca, civis et habitator Potentie, vendo et traddo tibi Nicolao Guillemi de Philippa, civi et habitatori eiusdem terre Potentie, petiam unam terre sitam in tenimento Potentie, in contrata silicet Campi Saraceni, hiis finibus circumdatam: ab uno latere tenes tu idem Nicolaus, a secundo latere tenet Robertus Anatronus, // (c. 347r) a tertio latere tenet Ioannes de Lacupensili et si qui alii sunt confines; hanc autem petiam terre qualiter est prescriptis finibus circumdatam per designata latera quatuor, una cum omnibus accessionibus et ingressionibus suis tibi ditto Nicolao vendo et traddo, pro qua recepi a te nomine pretii uncias auri duas et dimidiam, totum videlicet pretium ipsius venditionis. Quapropter do et trado tam tibi quam tuis heredibus liberam et omnimodam potestatem tenendi, possidendi, vendendi, donandi, permutandi, nec non et quocumque modo volueritis alienandi petiam terre prescriptis finibus superius designatam; insuper repromitto tibi et tuis heredibus eam defendere et guarentire contra omnes qui <te> vel tuos heredes de preditta petia terre molestare vel inquietare temptaverint more iudiciorum; et si ego prefatus Pascalis vel mei heredes vel aliquis

per me vel per meos heredes contra te prefatum Nicolaum vel tuos heredes de preditta petia terre aliquo tempore venerimus vel eam vobis deinceps calupniati fuerimus seu per quodlibet ingenium ipsam a vobis repetere vel subtrahere quesierimus aut eam vobis defendere et guarentire ab omnibus hominibus, ut supra dittum est, noluerimus more iudiciorum, debeamus componere nomine pene augustales auri viginti, medietatem tibi vel tuis heredibus et alteram medietatem regali curie, preditta venditione nihilominus rata perpetuo <per>manente. Preterea guadium tibi ex ea dedi et fideiubsorem de evitione tibi proinde posui // (c. 347v) Matheum filium condam Tholomei de Rollando cognatum meum.

1

Et taliter ego prefatus Ioannes de Gunnella puplicus Potentie notarius de mandato contrahentium preditorum hoc instrumentum venditionis scripsi quia interfui et meo signo signavi. (SN) † Bernardus scripto iudex testatur in isto † Ego archipresbiter ecclesie Santi Michaelis interfui † Ego Iacobus de Aldeza presbiter ecclesie Santi Michaelis interfui † Ego Nicolaus de iudice Cantore interfui † Ego Robertus de Lacupensuli interfui

2

3

4

A Ruta
A Angelus presbiter
A Eldeza
A Sanctoro